

# Franckesche Stiftungen zu Halle

## Dissertatio Inavgvralis Medica Theoretico-Practica De Dysenteria Pannonica

Juncker, Johann

Halae Magdebvrgicae, [1732?]

VD18 90819624

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))


### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201896](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201896)




131 B. 12

131 B 12

1. Le studio partium a sacrorum litterarum interpreta-  
tione revivendo praevide Christianus Bened. Michaelis.

2/

Inshel.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
THEORETICO - PRACTICA  
DE

# DYSENTERIA PANNONICA

QVAM  
ANNVENTE NVMINE DIVINO  
ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

IN  
ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE

DN. D. JOANNE JVNCKERO

PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO,  
DOMINO PATRONO AC PROMOTORE SVO OMNI  
HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO LICENTIA

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQVE CONSVETIS

Anno MDCCXXXII. d. Junii  
PVBLICÆ DISQVITIONI SVBMITTET  
AVCTOR RESPONDENS

JOANN. CHRISTOPHOR. SEYFFERT,  
GLAVCHA-MISNICVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,  
Typis IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN AUCTORITATE MEDICA  
THEORETICO - PRACTICA  
DE  
**DYSENTERIA  
PANNONICA**

ANNUNTIANTE NVMINE DIVINO  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN  
ACADEMIA REGIA FRIDERICANA  
PRÆSIDIO  
**DR. D. JOHANNIS JANKERO**

PROFESSORIS MEDICINÆ  
DOMINO PATRONO AC PROMOTORI SVO OMNI  
HONORIS CIVIT. HONORARIO  
**PRO LICENTIA**  
SYMMBOLE IN AUCTORITATE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORATUS LEGITIME INSTRUMENTO  
HONORIS CIVIT. HONORARIO  
ACADEMIA REGIA FRIDERICANA  
PRÆSIDIO  
**JOHANN. CHRISTOPHOR. SEYFFERT.**

HALE MAGDEBURGICÆ  
Typis Johannis Christiani Thuners, Acad. Typogr.



## DISSERTATIO.



**S**iquid est, quod animo humano latum meditandi campum aperire potest, post Theologiam ars medica principem facile locum tenebit. Hæc enim res a deo sublimes passim nobis sup-  
 peditat, quarum intimiorem ne-

xum perspicere rationi humanæ non semper est concessum. Et quemadmodum summum Numen in hominem creationis suæ summam collocavit, ita quicquid ab eo productum est, illud aut materiæ, aut spiritus nomine venit. Hæcce duo in homine principia cum sapienter & mirifice sane concentrata in eo percipiuntur; tum philosophorum cohors tam antiqua quam recentior abunde invenit, ut exercere vires suas poterit & possit. Et licet circa magnum hoc miraculum, quod medicinæ obiectum constituit, varii varie se defatigarint: plura tamen semper inveniuntur, quæ ad ulteriorem rerum in homine obviarum investiga-  
 tionem

tionem nos stimulare possunt. Sic v. g. Anatomica corporis humani consideratio, quæ nostro fere tempore summum nacta est fastigium, in dies nova detegit inventa, quæ ingenia varie exercere possunt. Porro non leviora sunt, quæ corporis vivi & sani consideratio nobis subministrat. Quantas enim motus illi, qui in corpore & per corpus quotidie occurrunt, lites in orbe erudito per quævis sæcula moverint, non nisi a litteris penitus alieno peregrinum esse potest. Alii enim motus animæ cum motibus corporis commercium habere negarunt. Alii animæ potentiam in corpus concesserunt. Alii in tam diversas contemplationes sese immiscuerunt, ut secundum antiquum illud, quot capita tot sensus ac opinioniones, hic fere reperiantur. Hæc uti in physiologicis clara sunt, ita pathologicæ considerationes non minoris sunt dignitatis & amplitudinis. Corpus enim vivum, quando actionibus naturalibus, vitalibus & animalibus læditur varie, varios generare morbus compertum est. Atque in horum indagatione parvus vitæ nostræ curriculum semper invenit, quod ruminetur: Et cum hæc pars medicinæ res suppeditet, quæ nunquam ob rei dignitatem satis considerari queunt, tum non est, ut benevolus Lector miretur, cur pro dissertationis nostræ inauguralis themate talem morbum elegerimus, de quo multa a multis iam dicta sunt & consignata. Videlicet ab instituto nostro alienum haud putamus, materiam de Dysenteria castrensi, & quidem regni Hungariæ, quæ sæpius magna strage Panoniæ fines devastat, pro ingenii facultate adumbrare. Quamvis enim de hac mate-

materia tam antiquorum, quam recentiorum, & theore-  
tici & practici magno studio & singulari industria  
scripserint, sedulus tamen studiisque intentus animus  
facile hic inveniet, quod aliorum observationibus  
addere possit. Huic considerationi ipsius morbi  
gravitas summumque accedit periculum, in quo ægro-  
tantes hic versantur. Profecto enim, si quis vel uni-  
cum mitigandi remedium in talibus angustiis & cru-  
ciatibus addere posset, hujus facile operam & indu-  
striam probaturi essent præcipue afflicti. Præterea  
nulla materia tanta gaudet perfectione, quin uberio-  
rem ferre possit enodationem, & cum pumilio, qui  
gygantis insistit humeris plura sane perspicere valet,  
ac ipse gygas, ita & in foro medico constitutus, po-  
sitis fundamentis, quæ multo labore ab aliis de re li-  
teraria optime meritis jacta sunt, non multum diffi-  
cultatis ad ea perspicenda deprehendit, & cum in-  
ventis aliquid addere nemo inique ferat, tum non  
puto nos male facturos, si de dysenteria in hac dis-  
sertatione mentem nostram exponamus. Quoniam  
autem variæ illius sunt species, nos illam imprimis  
nostræ subjiciemus considerationi, quæ omnium est  
pessima, multosque e medio tollit mortales. Hæc  
castrensis nobis audit, quæ quoniam præ aliis specie-  
bus magnam meretur considerationem, illam secun-  
dum omnes sui circumstantias evolvemus. Talem  
autem ordinem servabimus, ut priori loco tractatio-  
nem *Theoreticam*, posteriori vero *Practicam* exhibea-  
mus. In hunc finem summus Archiater Deus T. O.  
M. coepris hisce clementissime annuat, omniaque co-  
præcipue dirigat, quo in Divinæ Majestatis gloriam &

decumbentium salutem felicissime cedant, id quod etiam humillimis supplicibusque nunc precibus obtestamur.

### PARS THEORETICA.

#### §. I.

**Q**uamvis neminem, qui in orbe medico vel leviter versatus est, latere possit, quem sub Dysenteriae nomine morbum comprehendamus, adeoque in hoc multum morari superfluum esset: ne tamen denominationes morborum e graecis litteris petitas contemnere videamur, brevibus tantum ea communicabimus, quae ad huius vocabuli explicationem, pleniorumque evolutionem aliquam lucem adferre possunt.

#### §. II.

Componitur nempe ex usitata particula *δύς*, quae si principiis nominum apposita fuerit, ut plurimum *difficultatem*, vel potius ex mente *Scaligeri Comment. in Aristot. Histor. Animalium lib. X. Cap. 43.* in hoc casu malignitatem designat, cui vocabula *ἐντερῶν* intestinum, & *ῥέω* fluo iuxta *Blancardum in Lexico med.* adiuncta sunt, ut hac ratione difficilem & torminosum intestinorum fluxum designet.

#### §. III.

Obtinuit autem ratione Synonymiae hic humano generi tam infensus affectus, praeter vulgatissimum, etiam alia nomina a diversis autoribus, partim ut indolem huius morbi clariorem reddant, partim ut insignem ejus gravitatem ulteriori & uberiori committant

tant pervestigationi. Sic *Celso lib. IV. cap. 15. sub nomine torminum cum exulceratione intestinorum venit*, quoniam totus plerumque intestinorum tractus, gravissimis stipatus doloribus, purulenta e stasi sanguinea orta deiicit. *Walthero in Sylv. med. p. 488. audit morbus dissolutus*, cum non solum vires, verum etiam sensibiles intestinorum tunicas vi veluti quadam dissolvat. *A Coelio Aureliano Rheumatismus cum exulceratione*, & ab *Excellent. Wedelio in amoenitatibus materiae medicae p. 235. hypercatharsis spontanea vocatur*. Ab aliis *cruentum alvi profluvium, fluor Dysentericus, diarrhoea cruenta, exulceratio aut excoxiatio intestinorum*, vel secundum experientissimum *Sydenhamum*, magnum illum Angliae practicum, *febris ad intestina conversa* adpellatur. *Germanis die Ruhr, das Durchlauffen, item die Darm- oder Blut-Ruhr* dicitur.

## §. IV.

Homonymiam Dysenteriae si considerare velimus, varie haec vox a variis accipitur. *Generaliter* quidem veteres rei medicae scriptores, ut *Hippocrates*, laxiori sensu hoc verbo utebantur, adeo, ut quaecunque plus minus torminosam intestinorum levitatem Dysenteriae nomine salutarint. Huc etiam pertinet illa *Willisii Dysenteria incruenta*, quam in *Pharmaciaration. p. 194. describit*; ut & fluxus ille Dysentericus, qui Anno 1625. *Lugduni Gallorum* epidemice grassatus, atque ideo a *Joh. la Moniere* in peculiari tractatu descriptus est. Haec omnia priscis illis temporibus Dysenteriae nomine veniebant, licet ne minima sanguinis particula in deiectionibus alvinis apparuerit. *Specialiori* vero sensu olim ab iis, qui rei medicae operam

peram

peram navabant, omnis cruentus alvi fluxus iuxta *Claudinum Consult. Med. lib. XLII. p. 476.* Dysentericus audiebat. Vnde aliam quidem ab Hepatis imbecillitate, cui sanguificationis adscribebant negotium, deducebant; aliam autem ab ipsis intestinis graviter adfectis, quando scilicet brevi intervallo sanguinolenta, admixtis simul excrementis, summis cum excruciatibus, ventrisque torminibus eiciebantur, derivabant. Atque hic sensus ad nostra etiam pervenit tempora. Itaque cum de hoc morbo in hac dissertatione enodatus agere decreverimus, talem ordinem servandum putamus, ut primum descriptionem illius præmittamus, deinde differentiam, qua ab aliis similibus fere morbis distinguenda sit, indicemus, porro in causas eius & symptomata inquiramus, & denique therapeuticas considerationes suppeditemus.

## §. V.

Est autem castrensis talis Dysenteria frequens, cruenta, summeque dolorosa alvina deiectio, modo cum fecibus alvinis, modo cum materia mucosa vel prorsus purulenta conjuncta, & aliis diris symptomatibus complicata. Præcipue autem accedunt commotiones febriles acutiores, & molestissimus tenesmus, indefessus fere Dysenteriae malignæ comes, qui procidentiam ani sæpe numero produciens, summis decumbentem adficit excruciatibus. Inchoat hic morbus ut plurimum mense Augusto, & continuat per duos sequentes menses, pro ut nimirum citius aut ferius fervidiores dies frigidiores noctes excipiunt. Nullam hic morbus respicit ætatem, & ne quidem infantibus in cunis parit, multo minus decrepitis, sic etiam

etiam

iam sexum quemcunque nulla cum servata discretione invadit. Criticas in motu suo raro observat periodos, saltem diutius paulo suum protrahit circuitum. Primum intestinorum mucus egeritur, deinceps adeps intus illis adhærescens, exiguo cruore perfusus, tandem pelliculæ & fibræ ab intestinis abrasæ deiectionibus permixtæ adparent, denique ipsa caro propriaque intestini substantia putris & exesa prodit. Nunc cum rigore horroreque adgreditur hic morbus, quem totius corporis calor, ut in febribus solenne est, atque hunc brevi post ventristormina & deiectiones sequuntur. Aliquando tormina agmen ducunt, semper adest ingens cruciatus, & intestinorum depressio cum dolore, quoties exoneratur alvus cum crebris itidem deiectionibus & molestissimo viscerum omnium quasi descensu. Has comitantur phlogoses intercurfantibus horripilationibus. Porro desidendi conatu adeo vexantur ægri, ut ab hoc excernendi stimulo innumeris fere vicibus quotidie incitentur. Deiectiones mucosæ sunt omnes, non stercorosæ, nisi quod nonnunquam stercorosa interponatur. Mucosis hisce deiectionibus intertextuntur sanguinis quædam lineamenta, quandoque tamen ne minimum quidem sanguinis per omnem morbi decursum iisdem admiscetur, (quo non obstante dum modo frequentes sint deiectiones cum ventristorminibus & colluvie mucosâ, morbus æque recte Dysenterix nomen obtinebit) Interea æger quo floridiore in ætate est constitutus, eo citius a febre corripitur, lingua subalbida quadam mucilagine dense obsita, & si vehementius caleat, nigra etiam atque

B

sicca

ficca. Prosteruntur admodum vires, appetitus est deiectus, anxietates cum insignibus cardialgicis afflictionibus & vomendi conatibus sese manifestant, quid? quod omnia fere signa febris malignæ conspiciunt. Aliquando materia ista acris corrosiva tam alte intestinorum tractui infixæ est, ut crebris istis deiectionibus absterfionem exitiosæ & interitum minantis materiæ respicientibus, prius vires exhauriantur, quam eliminari a natura valeat. In progressu morbi sæpe numero sanguis sincerus, sine muco intermixto, largiori in quantitate singulis egeritur conatibus. Nonnunquam intestina a magno illo incendio gangræna insanabili adficiuntur cuius vestigia sphacelus excipit. Aphthæ insuper oris interna & fauces obsident. Denique sub his commotionibus sæpe numero Petechiæ & Purpura non raro complicantur.

## §. VI.

Ex hac igitur fontici huius morbi descriptione cuius innotescere potest, qua in parte tantorum ac tam gravissimorum malorum sedes sit statuenda. Ego sane universum intestinorum canalem huius morbi labe infectum esse iudico. Equidem *Fernelius* (quem honoris causa nomino) intestina adfecta ex situ doloris & permissione materiæ excretæ denominare studet. e.g. Si cruor, & quicquid corraditur, fecibus alvi exquisitè permiscetur, intestinis superioribus, si vero id purum ac minime permixtum excidit, seorsumque feces alvi descendunt, inferioribus adscribit. Porro *Spigelius Bartholinus* alique iuxta relationem *Horslii Lib. III. obs. 20*, in Dysenteria, potissimum

mum epidemica Hungarica, intestina crassa magis pro principali eiusdem subiecto venditant. Ast hoc non obstante ipsa etiam tenuia, ratione sitis, affluxus, collectionis & confectionis, depravati liquoris ad intestina conversi, bilis, liquoris gastrici, & aliarum rerum fermentescibilium ingestarum in hoc adfectu miseram suam deplorant sortem. Neminem tamen credo futurum, qui existimabit, nos opinari per universum morbi decursum universum intestinorum tractum adfligi, cum iure meritoque adfirmemus, primis morbi diebus maiori ex parte tenuia pati, (id quod sectiones Dysentericorum a *Barbette Lib. IV. Prax. C. S. Boneto in Sepulcret. Anat.* & in *A. N. C.* hinc inde descriptæ exacte testantur) successu vero temporis in crassa intestina malorum agmen devolvi. Intestinum rectum in primis eius sentit sævitiam, illud enim propter continuam vellicationem, arrosionem atque constrictionem, sub fecum deiectione potissimum occurrentem, arroditur, tunica eius interior plus iusto relaxatur, & tali ratione molestam illam satisque fonticam procidentiam ani patitur.

## §. VII.

Cum vero præter Dysenteriam plures quoque in praxi passim occurrant morbi, quos etiam cruentæ deiectiones alvinæ satis dolorosæ comitari solent, omni utique studio in id incumbendum erit, ut signa horum adfectuum diagnostica eruamus, & sic de hoc vel illo morbo certiores facti præsentius adferre auxilium valeamus. Cognitio enim morbi quantam Medico tam in prognosi feliciter ponenda, quam in

the-

therapia recte instituenda lucem accendat, viri in re medica multum versati optime diiudicare valent. Hinc adfectuum, congenerem scenam ludentium, considerationi quantum virium facultas permittet, inhiabimus. Itaque si quæ sint morborum species, quæ Dysenteriam satis graphice simulent, sunt profecto eruptiones *Hæmorrhoidales* torminosæ, licet rarioribus exemplis ita exquisitè occurrentes. Quod & *Villanovanus in Breviario Lib. II. p. 26.* testatur. Interim tamen si practicum hac de re consuluerimus labores, luculenter ex mutua utriusque adfectus collatione differentiam unius ab altero perspicimus. In fluxu enim hæmorrhoidali sanguis interdum post, sæpius vero ante, interdum simul cum fecum exclusione, & quidem semper purus distinctus & separatus ab ipsis fecibus prodit; hinc si tali ordine & modo sanguinem excerni observamus, si feces naturalis sint consistentiæ, si eliminationem sanguinis dolorum allevatio excipit, si denique quo plus sanguinis egeritur eo maiori commodo æger fruitur, tunc non dysentericum, sed potius hæmorrhoidalem esse fluxum sat firmis muniti argumentis concludimus. In Dysenterica enim dejectione si sanguis purus & quidem majori in quantitate eiicitur, plerumque summæ imminent angustia, quæ brevi nonnunquam tempore decumbentem cogunt, ut vitam cum morte commutet. Præterea *Dysenteria* hæc nostra *eastrensis* nunquam caret contagio, hæmorrhoides autem omni infectionis suspitione vacant, ita ut nisi ab hæreditaria dependeant dispositione, neminem hæmorrhoidarii a sua consuetudine detertere solent. His accedit

dit peculiaris illa circumstantia, quod *Dysenteria* Augusto mense, raro maturius circa Iulii medium, videlicet eo tempore quo cerasa, pruna molliora, pyra praecocia maturitatem induere solent, humanum genus adoriatur, imprimis cum, viribus a solis ardore diurno exhaustis, incautius nocturno frigori sese committunt. Vnde etiam fit, ut quam citissime circa autumnus tempora in castra se insinuet, cum illi vi-  
 lioris fortis homines dulcedine auræ noctis inescati post exantlatos diei fervidioris labores saepe numero cum vitæ periculo deliciarum suarum poenas luant. Deniq; *hæmorrhoides* statim quidem servant tempora sive menstrua, sive æquinoctialia, sive anniversaria, quod *Ill. Stahlius* multis passim illustravit exemplis. Sic etiam Excellentissimus Dominus PRÆSES in *Comp. suo Med. Theor. Practic.* Tab. XI. p. 67. recens & historiam, ubi vir quidam per plures annos die cuiusvis mensis decimo octavo præcise hæmorrhoides sit expertus, non obstante impari numero dierum mensium. Porro A. N. C. Dec. II. Anno II. obs. 70. ut & A. E. L. anno 1727. mensis Sept. p. 402. illa in viro hæc in puero mense quovis obtingentes hæmorrhoides commemorant: attamen, ut sporadicorum morborum mos est & consuetudo, nullis anni temporibus se adstringunt. Ut autem dignitas huius differentiae summaque eius utilitas magis ac magis medio studio operam navantibus perspecta reddatur, licebit mihi Casum quendam ex *Illustr. Stahlio* ipsissimis verbis exprimere.  
 „Vir iuvenis 30. annos non multum excedens, satis  
 „procerus, sanguinei, leviter cholericus habitus, a  
 „longo tempore otio & vino Thuringico fortio-

„ri, plus quam aliis rebus indulgens, hæmorrhoides ad quas hæreditaria dispositione ferebatur, iam aliquoties expertus, nunquam tamen sine tali symptomatum syndrome, quæ dysentericæ cruentæ non modo suspicionem facere videretur, sed plus semel etiam, primis præcipue vicibus, persuationem. Corripiebatur nempe lubricitate alvi, cum appetitus labefactione & mox prostratione, neque tardiore virium lapsu, torminibus autem repentino impetu ferocientibus, emicabat non solum frequens excernendi conatus, sed etiam aliqualis mucidæ inprimis talis substantiæ successus: donec tandem etiam cruenta consistentia succederet, sensim demum sinceriore etiam sanguine subsequente. Tenesmus sub toto hoc pathemate ingens urgebat, & pertinax. Breviter nulla a vera Dysenteria diversitas, quam quod sanguinis liberior successus pathemata sensim mitigarit, ipse etiam sincerior succederet, & inter omnia reliqua pathemata miscendo recedentia, ipse agmen clauderet, & appare-re postremus cessaret.

## §. VIII.

Possem ego equidem hic pedem figere, nec differentiam Dysentericæ a motibus hæmorrhoidum difficilioribus ulterius urgere: quoniam tamen experientia medicis in rebus plurimum valet, a nostro instituto minime alienum erit, si alium adhuc intricatiorem casum qui & medicis haud fuit perspectus ex iisdem fontibus derivavero. „Vir iuvenis 26. annor. „cholerico-melancholici habitus, plethoricus, venæsectionibus semestribus assuetus, proximo vero tempore

„pore in laboratorio spatioso, coque ipso admodum  
„frigido, inter aliquot numero diversas operationes  
„occupatus, quarum una erat præparatio clyssi anti-  
„monii tartarifati & fusionis regulorum Antimonia-  
„lium Martialis atq; Jovialis: superiore quidem corpore  
„ad sudorem calebat, cruribus autem & pedibus per-  
„cellebatur a frigore pavimenti lapidei: rectissime  
„interim habebat, alacris totus atque vegetus erat.  
„Cum clyssus ille, in aliqua copia parandus, intra  
„pauciores hæc horas absolvendus esset, vasorum  
„iuncturæ etiam laxæ atque dehiscences, multum va-  
„poris efflarent a nauseabundo fuliginoso nidore pe-  
„culiare fastidium sentiret: absoluto circa horam  
„sextam vespertinam toto laborum pensu, optime  
„adhuc habens, in conclave calidum rediens, corri-  
„pitur paulo post insolitis sibi torminibus alvi acutis:  
„quæ mox in deiciendi conatum procedunt: deii-  
„cit etiam liquida, non aliter ac si purgante usus fu-  
„isset. Revertitur ad coenam, quam cum bono ap-  
„petitu assumit, recurrentibus interim subinde acri-  
„oribus quibusdam morsibus torminosus. Statim  
„post cœnam, quæ vix dimidiam horam excefferat,  
„corripitur iterum deiectione, non aliter quam a  
„purgante adsumto, quantitate & qualitate expurga-  
„toria. Increbescunt tormina, cum intercurrenti-  
„bus tertia & quarta vice liquidis eiusmodi deieccio-  
„nibus: ante nonam vespertinam persentiscit inde  
„sensim insolitam quandam fatigationem: cujus æque  
„atque continuantium morsuum torminosorum in-  
„tuitu maturius cubitum ire suscipit. Cum vero  
„in cubiculo frigido dormiret, neque lectum conca-  
„lesca-

„lesacere cordi habuisset, simul atque in hunc ita fri-  
„gidum decumbit, corripitur statim fortissimo hor-  
„rore vere febrili, mordentibus interim propemo-  
„dum absque cessatione acribus torminibus. Post  
„dimidiam vero horam durantis ita iugiter horro-  
„ris vomitu corripitur, sed unico, & simpliciter co-  
„rum, quæ in coena adsumserat: deiciendi vero co-  
„natus non ita multo post revertitur, ita importu-  
„nus, ut etiam sub ipso horrore surgendum esset, cum  
„tandem sensim cessaret horror atque frigus, succedit  
„æstus, non quidem fervidus, neque tamen etiam e-  
„xiguus. Tormina sæpe recurrentia, & in deiectio-  
„nes non solum torminosas, sed etiam tenesmodos  
„connitentia, non tantum pervigilem faciunt no-  
„ctem, sed pluribus etiam fluxibus laboriosam. La-  
„boraverat patiens in pueritia & prima adolescentia  
„tribus diversis vicibus Dysenteria vera, neque ami-  
„serat eius rei recordationem satis exquisitam. Ju-  
„dicabat tam a reliquo torminoso, quam inprimiste-  
„nesmode sensu, quod excretio iam dum sine dubio  
„cruenta prodeat, quod tamen candela nondum sa-  
„tis dilucescebat, diei vero subsequens lumen sa-  
„tis manifestabat. Continuabat hæc deiectio cum  
„febre continua, leniori tamen, ita in octo dies, ea  
„tamen sub differentia, ut & fluxus & tormina, rari-  
„us potius quam frequentius procederent non so-  
„lum singulos in dies, sed etiam omnino mox primo  
„a die, seu potius nocte illa ita misere anxia & labo-  
„riosa. Tandem cum adstringentibus manifestiori-  
„bus potius asperior semper; quam ullo modo miti-  
„or evaderet, tam fluxus quam præcipue dolor & co-  
„natus, lenioribus est obsecutus uterque. Egregius  
sane

sane casus, qui docet, quam caute Medicus versari debeat in dysenteria ab hæmorrhoidibus discernenda, ne præpostera sua diiudicatione incongruis remediis potius opprimat quam sublevet ægrotantem.

## §. IX.

Restat adhuc, ut aliquas distinctionis notas quæ inter affectum illum vulgatissimum *le mal de Paris* dictum & Dysenteriam intercedunt, communicemus, brevitati tamen studebimus, ne plus iusto nos detineat. *Fluxus* iste Gallix est endemius & non nisi Lutetiis Parisiorum suam ludit tragœdiam, *Dysenteria* autem nullo habito loci respectu unumquemque, concurrentibus causis, invadere potest. Et licet *le mal de Paris* cum diarrhæa incipiat & sanguinis excretionem habeat succedentem, non est tamen contagiosum, nec ad Dysenteriam inprimis epidemicam accedit malignitatem. Porro *Dysenteria* nostra est maxime contagiosa, unde multa strage castra demittitur *le mal de Paris* vero ut plurimum tam segnis est adfectus, ut hoc etiam adfecti homines in publicum prodire suisque muneribus fungi valeant. Præterea *Dysenteria* nostra ne subfrigidam quidem ferre potest auram, unde lecto se continere coguntur, contra *le mal de Paris* sine febrilibus commotionibus sat placide decurrit. Denique *Dysenteria* hæc febrem sat malignam pro individuo habet comite. Diutius his inhærere, non cupio, cum non facile quisquam invenietur, qui ex iam prolatis horum adfectuum differentiam colligere non possit.

## §. X.

Perpectis sic signis diagnosticis, quæ Dysenteriam

C

riam

riam ab aliis congeneribus adfectibus seiungunt, ordinem invasionis, progressus & decursus, quem observare solet, historice trademus. Antequam igitur hic morbus in ordinaria sua facie apparet, præcurreunt ordinarie frequentes, satis tamen leves horripilationes, varii transitorii & vagi intestinorum dolores, lancinationes, murmura & borborygmi. Succedunt dein pressiones & anxietates circa præcordia, imminutiones & plenarii appetitus defectus, agrypnia fere continuæ, sitis & calor quodammodo auctior cum frequenti ad desidendum conatu, absque tamen notabili excretionem, aut ullo levamine, quem tandem diarrhæa plerumque excipit, plus minusve torminosa, quam sæpius prodromi loco habet hæc Dysenteria, iuxta *Hippocr. Sect. VII. Aphor. 75.* Si deinde actu præsens fuerit hic morbus, tum eundem statim produnt signa illa, quæ habet quasi essentialia, videlicet crebriores illæ & cruentæ torminosæque deiectiones cum molestissimo coniunctæ tenesmo, ipsam vero excrementorum successive observabilem differentiam & varietatem sic describit *Herlicius de Dysent. pag. 10.* Quod ab initio prodeuntia excrementa flava & albicantia observaverit, qualia alias in Diarrhæis quoque egerantur, hæc secuta spumosa, dein mucosa, tandem quasi pinguis, quæ simul modo maiori, modo minori sanguinis quantitate interstinctæ apparuerint. De reliquo quantitas horum excrementorum minima semper est, sæpius ægrotus variis excrucietur conatibus, cumque malum altiores egit radices, ægrotantes vehementissimo torquentur tenesmo, qui sæpe numero molestam periculoque plenam ani procidentiam producit.

§. XI.

## §. XI.

Sub his ipsis malorum turbis febris sat aucta insigni cum æstu agmen quasi ducit, magis tamen interiora, quam exteriora affligens, quam sitis intensa, summa virium prostratio, & maxima præcordiorum angustia a primo statim invasionis termino comitantur. Huic angustiae interdum singultus, convulsiones, aut Lypothymiae graviores non raro superveniunt. Lingua ut plurimum mucos albo viscido est obducta, in aliis etiam continuo ab ardore sicca, obscure rubicunda & nigra, cum copiosis in eadem apparentibus fissuris, ac supervenientibus tandem aphthis, hanc pariter ac fauces, obsidentibus. Sæpiusculæ etiam erumpunt petechiae in cute, sub quibus symptomata omnia graviora ac periculosa redduntur, plurimique ægrotantium ante septimi diei decursum moriuntur. Instituta dein anatomica sectione cadaverum, intestina plerumque inflammata & sphacelata deprehenduntur, imo in multis apostematata & ulcera ibidem reperta fuerunt; prout hoc imprimis testatur *Coberus in observ. med. castrens.* ita scribens: Dysenteriae Pannonicae omnium crudelissimae sunt, sicut primis annis, cum naturam & rabiem morborum Hungaricorum sedulo rimando indagaturus Anatomice plura cadavera aspexissem, intestina passim pugnum excedentibus apostematibus & ulceribus perenni serie scaturientibus ebullisse viderim, ut non absque causa confirmatas in castris Dysenterias non curatu difficiles, sed plane impossibiles deinde adfirmaverim.

## §. XII.

## §. XII.

Missis iam historicis huius morbi circumstantiis, propius ad Dysenteriae considerationem properemus, & in eius causas, ea qua par est industria, inquiremus. Quemadmodum ardua res est, captumque humanum longe superat, specialem certamque morborum epidemicorum contagiosorum rationem tradere, ita multo maiori laborat difficultate, unius cuiusque morbi contagiosi specificum evolvere fermentum, & sane si vera fateamur, nos horum fermentorum specialis mixtio fugit. Specialissimum autem hoc esse fermentum, quod tantam in intestinis excitat fermentationem, exinde perspicere valeamus, dum a natura tractus intestinorum eligitur, tanquam locus, per quem commodissime se ab hoc miasmate fermentativo liberare valet; cum cætera miasmata per generale illud colatorium, hoc est, peripheriam corporis bono cum effectu ut plurimum eliminantur. Unde cum nulla adfulgeat spes, specificæ Dysenteriae indolis rationem perspicere, generalissimo hoc conceptu contenti esse debemus. Quod autem corruptela hæc in Dysenteria præprimis Castrensi Pannonica talis specialissimæ fermentativæ sit indolis, ut secundum mentem *Ill. Stahl*i ubicunque tandem hoc fermentum eum bile in corpore concurreret, talem cum illa corruptelam formet, quæ catharticæ evacuationi exquisitissime quadret, imo excretioni præcipiti seu minime cunctationem ferenti, sine corporis graviore noxa, admovenda sit.

## §. XIII.

Credo autem nonnullos mirari, cur bilem huic  
scenæ

scenæ præ aliis humoribus in corpore humano magis obviis e.g. salivæ, liquori gastrico, immisceamus, & quidem ut liquidum, in quo Dysentericæ fermentum primæ suæ iacere fundamenta quam maxime possit & soleat. Qui vero illa momenta, quæ sequuntur perpendet, ille mirari facile desinet. *Primo* enim bilis cuiusmodi mixtum est, quod acrimoniam fermentescientium rerum maxime exaltare potest, ut ex morbo sic dicto *Cholera*, quando cibis aut potibus acrius fermentescientibus immoderatus admiscetur, patet. In hoc enim morbo tantam excitat fermentationem, ut acerrima caustica induta indole revera gravissime intestina stimulet, donec eius exturbatio tam per superiora quam inferiora subsequatur. *Secundo* Anatomicæ observationes idem confirmant. *Bontius* enim in quodam Dysenteria mortuo accurate observavit, quod nulla adfuerit bilis, sed materia quædam quasi chylosa, quæ folliculum fellis repleverit. Idem Auctor alia observatione cystidem felleam suo liquore exhaustam invenit, loca autem adiacentia per omnem superficiem colore vitellino tincta intus autem ventriculum & proxima intestina ad Ileum usque undique bile perfusa. *Platerus in Mantissa observationum* ingentem circa Cystidem abscessum invenit. *De la Moniere de fluxu Dysenterico* feminam refert hoc morbo sublatam, cuius intestina, Duodenum & Jejunum bile inundata fuerint. Hæc omnia satis refutare, possunt eos, qui subtilibus rebus inhiantes, speciales particularum figuras, quæ fonticum hoc producant malum, delineare omnes ingenii iudicii que vires intendunt.

## §. XIV.

Vnde autem hoc miasma suos ducat natales altiori indiget investigatione. Alii Dysentericæ grassationis castrensis rationem in militum errores diæteticos unice rejiciunt. Habent enim castra hoc peculiare, quod scil. vix unquam, aut alia occasione major omnis generis cruditarum ac impuritarum summe noxiarum copia & quantitas colligatur, producat & accumulatur, quam tum quidem, quando proterva gens militum alienis sumptibus jure suo gaudet. Quod autem hæc minime sufficiant ad fontici hujus adfectus productionem, non solum castra docent multarum gentium, ubi milites nocte dieque turpissimis fœdissimisque indulgent commestationibus, & tamen ne exigua quidem hujus adfectus vestigia adparent. Interim eo non abit mens mea, ac si hæc perversa vivendi ratio, concurrentibus primariis causis, ad huius morbi productionem nihil conferre possit, sed id tantum ingenue fateor, hanc rationem nullo modo sufficere.

## §. XV.

Nec in eorum partes transire possum, qui ortum huius miasmatis a vitæ genere mutato deducere student. Putant enim ex diætâ dura & impura, plerumque castris propria, & non raro per multos menses continuanda, tanto humorum excrementitiorum diluvio corpora inundari, ut omnis generis morbis, imprimis Dysentericæ facillime, infantes licet, tandem exponantur & subiiciantur, ob ingentes nimirum cruditarum mucido-acido, seroso-biliosarum acrim colluvies imprimis viis contentas. Serum enim sal-

sum acre vix alibi locorum plus citiusve coacervari autumant, quam in hoc longo crudicatum canali. Sed quam procul a vero huius causæ Patroni aberrant, patet primum ex eo, quod in castris hic morbus illos præcipue impetat, qui vilioris fortis sunt, & quorum ventriculi adeo sensibiles non sunt, ut diætæ permutatio illos tam facile subruere possit. Deinde considerandum est, Classarios, qui longe lateque maritima percurrunt loca navigando, Dysenteria ferocitatem, ob victum crassum, potulenta vappida aliasque duriores vivendi rationes, quibus in terra Castra ponentes minime sunt subiecti, præ aliis sentire debere, quod tamen experientiæ repugnat.

## §. XVI.

His tertium ac præcipuum momentum accedit, quod si causæ allatæ essent genuinæ, grassationes dysenteria minime autumnali, sed quovis potius castrorum tempore sese manifestarent. Nec cum iis consentio eruditis, quo Dysenteria Pannonica causam in fructuum horæorum inconsideratum usum, vel nimiam eorum ingurgitationem primario coniiciunt. Rationibus enim infirmis eorum nititur prolatum. Quamvis enim, testante experientia & observantibus quibusvis fere autoribus tempus grassationis utplurimum in autumnu cadat tempora, sequentes tamen rationes docebunt, quod hic causarum fallacia committatur, quibus fructuum immaturorum, vel maturorum, succo facile fermentante præditorum, usus quam maxime est vulgaris. De  
fiendi

fiendi quidem & producendi modo hunc sibi formant conceptum, quod fructus horæi ingesti, & primam in ventriculo coctionem perpeffi, inque duodeno subtilius resoluti, fermentativam acquirant indolem, & accedente insuper bilis adfusione acriores fiant, nerveasque intestinorum præcipue tenuium exquisitè sensibiles tunicas moleste stimulent, unde spæsmi, tormina, aliaque oriantur symptomata. Sed quam lubrico stent vestigio, statim innotescet. Ad primum enim quod attinet, tum iis, qui enarratæ opinionioni favent, libenter quidem concedam, Dysenteriam Pannonicam etiam autumnii esse sobolem, exinde tamen colligere non licet, fructus horæos illam unice producere. Historicæ enim morbi Dysenterici relationes graviores mox infra commemorandas nobis suppeditabunt rationes, ex quibus epidemii huius mali causam petere valemus. Deinde, multi autores, qui fructus horæos accusant, non absolute in eosdem omnem culpam devolvunt, verum alias etiam concurrentes adduxere causas, quas e.g. apud Sydenhamum, item in Actis Berolin. & passim alibi legere licebit. Huc accedit illa præcipue circumstantia, quod Dysenteria sæpe grassetur ante tempora autumnii, ubi fructus horæi adhuc in flore sunt constituti. vid. Diff. Ill. Hoffmanni, de Dysenteria Epidemica. Imo, quod omne dubium tollit, sæpe numero ingens fructuum horæorum adest copia, quæ nullam tamen producit Dysenteriam, uti ex contraria parte hic morbus tum non raro occurrit, quando autumnus talibus fructibus destitutus est.

§. XVII.

## §. XVII.

Alii porro cerevisias æstivo tempore male constitutas accusant, unde primas vias variis impuritatibus acrescentibus, & fermentabilibus cumulari aiunt, quæ deinceps in Dysenteriam terminentur; sed quantopere hæc claudicet opinio, ex eo perspicere licet, quod eius modi cerevisiæ alio etiam tempore grassationi ansam dare deberent, quod tamen non contingit. Adhuc alii specialem quandam labem principiorum impurorum salinorum causticorum mixtioni animali valde noxiorum fructibus aliisque vegetabilibus edulibus insinuatam adducunt, sed nec hæc unice Pannonicam producere Dysenteriam possunt. Effectus enim communes communes etiam causas exposcunt.

## §. XVIII.

His rite pensatis, prolatae causæ procatarcticæ penitus quidem non sunt excludendæ a productione Dysentericæ; eis tamen tanquam remotioribus nimium non est adscribendum. Nos igitur primariam cum Hippocrate causam in variis aëris vicissitudinibus autumno propriis collocamus. Is enim *lib. III. aph. XI.* perspicuis tradit verbis, Dysenterias ex variis tempestatum mutationibus sua trahere primordia, verba eius in latinum translata sermonem ita se habent: *Tempestates quod attinet, post hyemem siccam & aquiloniam, si ver pluviosum & austrinum fuerit, æstate necesse est, febres acutas & ophthalmias & Dysenterias fieri.* Confirmant etiam hanc sententiam *Act. Berol.* quæ adfirmant, Dysenteriam esse morbum, quem autumnus parturire soleat, partim ob fructuum horæorum immoderatum & tunc penitus immodestum usum: par-

D

tim

tim ob aëris alternam & ad duo extrema vergentem alterationem, qua corpora hominum per diu calore solis assentur, noctu vero inclementiore aura afflata algeant: tali enim ratione ardore solis, laboribus, aliisque spirituosus adsumtis, humores summam nancisci subtilitatem, maximamque pati resolutionem; cumque natura eos perpetuo ad peripheriam, tanquam locum his salino-sulphureis particulis maxime congruum, amandare & per illum evacuare soleat, repentinam harum summe perniciosarum particularum fieri repressionem, qua de causa universam humorum massam facile corrumpi posse. Hæ repressæ & noxiæ impuritates si mature e corpore non proferantur, pro indole sua insinuare sese solent reliquis in sanguine adhuc existentibus biliosis & salinis recrementis, quæ per hæc accessiones in maiorem acredinem exaltantur, & sic a statu suo naturali longius adhuc recedunt. Vnde si bilis nomine in Hepate tandem separentur & per ductum cholidochum ad intestinum duodenum deducantur, non possunt non subtilem producere fermentationem, quæ accedentibus rebus fermentescibilibus facile in magnum intestinorum erumpunt incendium.

## §. XIX.

Quod ad specialiore huius miasmatis genesis attinet, quantum coniectura adsequi valemus, variæ concurrere causæ videntur, inter quas principem occupat locum specialis quædam unius aut alterius subiecti humorum constitutio, quæ levi negotio a variis aëris mutationibus, incautius admissis, accedentibus simul rebus nonnullis fermentescibilibus, in Dysenteria

tericam exaltari potest malignitatem. Quæ deinceps cum aliis communicata per varios attactus physicos longe lateque serpit, multosque depascit homines, donec frigoris accessione huius miasmatis vis infringatur atque coërceatur.

## §. XX.

Jam ad specialissimas circumstantias progrediemur & paucis exponemus, cur dysenteria castris Pannoniæ inprimis sit tam infensa. Vbi *primam* nobis subministrat rationem *Coberus in observ. med. Castrens.* Dec. I. p. 52. dicens: Duobus semper cum extremis aër Hungaricus colluctatur, aut extrema crassitie, nocte ex nebulis inspissatis, aut iisdem penitus discussis, extrema subtilitate. Hæc duo extrema cum mutuo se sæpius excipiunt, non possunt non fonticam inter alios adfectus excludere Dysenteriam, nam per extenuatum & calidum aërem humores resolvuntur & ad peripheriam corporis devolvuntur, quem, si crassus, nebulosus, subfrigidus e vestigio excipit, isti excrementii humores ad centrum reprimuntur, ubi suam deinde exercent tyrannidem. *Secundam* causam ipsius regionis situs nobis patefacit. Elevatio enim Poli quæ ad quadragesimum septimum gradum se extendit, calidam huius regni tempestatem docet. Multum etiam nimius vini spirituosioris usus, qui magnam sanguini infert orgasmum, ad maiorem huius morbi malignitatem contribuit. Huc porro accedunt nimii labores & exercitia militaria, quibus humores mirum in modum resolvuntur. Sic etiam loca requiei destinata undique ventis perflantur, cumque corpora stragulis bene non sint munita, tum

summe noxiis iniuriis illa exponuntur. Vnde non sine ratione Dysenteria Pannonicis castris præ urbibus aliisque regionibus magnam infert stragem; id quod etiam *Sennertus in Praxi sua artic. de Dysenteria* probe notavit. Ibi enim, nullam fere, inquit, in Hungaria susceptam fuisse expeditionem, in qua non ex insueta & incauta rerum non naturalium ratione plures ferme Dysenteria quam ferro obierint. Hæc de Theoretica huius adfectus parte sufficiant: practicam ergo lustrabimus.

## §. I.

**R**atione Prognosticos notandum est, quod Dysenteria in genere omnibus subiectis sensibilibus ac iunioribus plus semper periculi portendat, quam quidem robustioribus atque adultis, senes autem & infantes gravius hoc morbo decumbant *Conf. Aët. Berol. Decad. I. Val. VI. p. 40.* Si tenuia intestina magis in eadem sunt adfecta, tunc iuxta *Baglivum Prax. Med. Lib. I. p. 74.* ob hepatis viciniam malum ordinarie gravius, quam si in crassis sedem suam habuerit. Quo maior autem graviorum symptomatum est numerus, uti in hac nostra castrensi fere ordinarie contingere solet, eo periculosior semper censendus erit adfectus. Deiectiones si mucosæ sint, salutis spem relinquunt, si vero bilis vitellina vel æruginosa, vel atra simul prodeat, secundum *Platerum* res ancipiti stat loco. Sanguis sincerus purus & floridus, si non in magna admodum quantitate excernatur, dubiam reddit prognosin. *Conf. Hippocrat. Aphor. 23. Sect. VII.* maiori autem portione eiectus testante *Sydenhamo* mortem indicat. Si cum excrementis veluti caruncula simul pro-

prodeant lethale est, iuxta *Aphor. 26. Sect. VII.* Sic etiam, si intestina gangræna vel sphacelo iam iam correpta sunt, id quod plerumque excrementa ad viridem, æruginosum vel etiam nigrum colorem accedentia, summumque ac intolerabilem fœtorem spargentia demonstrant, coniunctis simul febre graviore, extremorum frigore, singultu, & facie cadaverosa, iuxta *Sect. IV. Aphor. 23 & 24.* mortem nunciat. Porro si linguæ ariditas & inflammatio, summa deglutiendi difficultas, vel ipsa etiam angina, cum singultu & vomitu, deliriis, aphthis, convulsionibus adfuerit, tum sane certissimus ægri interitus est expectandus; id quod ordinarie ferre in Pannonica nostra Dysenteria accidere solet. Tum vero spem salutis denuo subsequituræ magnam facimus, si vires adhuc supersint valentes, appetitus quodammodo constans, febris levior & mitior, excoariatio intestinorum parva, & deiectiones parciore ac rariores, quod etiam *Hippocrat. Sect. VI. Aphor. I.* confirmat his verbis: Diuturnis intestinorum levitatibus, ructus acidus superveniens, qui prius non fuit, signum bonum. Qui plura hac de materia desiderat, evolvat *Fernelii Univer. Med. Patholog. Lib. VI. Cap. X. p. 524. edit. in folio.* ut & *Dom. Præsidis Consp. Med. Theoret. pract. Tab. XXVI. p. 624-626. it. Act. Berolin. Decad. I. Vol. VI. p. 39. 40.*

## §. II.

Quod autem ad ipsam therapiam attinet, misera hæc ægrotorum conditio in magno & specioso verborum apparatu nullum invenit solatium, sed medicamenta requirit, quibus ferociori morbi decursui habenæ iniiciantur. Et licet in quam plurimis aliis acutis

tis avtocratia naturæ principatum teneat, hic tamen hostis vix ac ne vix quidem solis illius viribus profligari potest. Vnde ut eo melius hoc morbo iactatus tutum adsignari portum valeamus, duas indicationes commendamus: videlicet primum ut materia corrupta, crassior & fœculentior ex primis viis tempestive & blande ejiciatur, deinde vero, ut materia corrumpens specifica nempe subtilissima illa fermentativa substantia, conveniente suæ speciei modo corrigatur & eliminetur: & quo ab ulteriore corrumpente progressionē cohibeatur. Hoc autem, ut debito ordine perficiamus, nostrum erit, tam consiliis, quam auxiliis probatissimis succurrere. Consilia ex diætetico potissimum fonte hauriuntur. Hæc enim, quantum in sævo hoc morbo valeant, quivis mox perspiciet. Ante omnia igitur morbo hoc detentus ex castris & casa sua, omnibus tempestatum injuriis pervia, in locum ab aëre bene munitum transferatur, ibique se ab omni refrigeratione probe defendat. Frigus enim tam externe, quam interne admissum, morbum hunc multo deteriorem reddit. Hic autem cavendum, ne coactum & calidum sudoriferum regimen directe respiciatur, sed moderato tantum calore decumbens foveatur, ut nimius ad intestina conversus humorum adfluxus versus peripheriam revocetur. In hunc finem tibialibus & calidis lateribus ægrotis prospiciendum, & regio epigastrica atque umbilicalis linteis calidis fovenda est: dolores enim hac ratione egregie mitigantur. Vbi etiam circumstantiæ concedunt, ut desidentibus calida aqua supponi & vapor ejus ad intestinum rectum admitti possit,

possit, magnum ex his & prioribus omnibus ægroti dysenterici percipient levamen: præterea potus sit temperatus, & ab omni fermentatione alienus. Hinc consultius est, ut omnis cerevisia mox removeatur, & decoctum aliquod gelatinosum tepide exhibeatur. Quæta continentia ante omnia conservetur, nimia enim jactatio refrigerationem, & hæc dolorum exacerbationem parit. Animi pathemata, præprimis terror, omnibus ab ægrotis arceatur viribus, quanto enim dolorum & periculorum agmine stipata sit ejusmodi per terrorem producta humorum directio ad interiora, ex ipsius morbi indole illucescit.

## §. III.

Præmissis his Diæteticis, ad forum pharmaceuticum progredimur, atque in eo primum respicimus ea, quæ primæ indicationi auxiliatrices manus ferre possunt. Hic mucilagines hordei, avenæ, oleum amygdalarum dulcium, olivarum, chamomillæ largius ingestum egregias ferunt suppetias: non enim lubricas tantum reddunt primas vias, sed & acrimoniam fermentescentiamque ad vota sæpe infringunt. Deinde Rhabarbarum in pulvere cum absorbente quodam simplici exhibitum, particulis suis salino-sulphureis cum terreis limosis & austeris mixtum, efficacia sua non solum laxante, sed & abstergente, involvente, & subadstringente, egregiam adfert opem. Omnibus tamen aliis dubiam reddunt palmam Pil. Becheri legitime correctæ. Hæ enim dextre & cum aliis congruis adhibitæ quam innumeros ex mortis faucibus eripuerint dysentericos, experientia hodie ita confirmatum est, ut de hac re non magis dubitandum. Clysterum

rum

rum promiscuus usus non quidem laudatur, quando autem ex gelatinosis & mucilaginosi parantur, effectum egregium præstare solent. Huic scopo intervniunt: Rad. Althææ, Lilior. alb. HB. Malvæ, Branc. Ursinæ, violar. Flor. Meliloti, Verbasci, Chamomill. Vulg. & Roman. Semen Fœnu græci, lini, Oleum Olivarum, Verbasci, Chamomillæ, vitellor. ovorum, lac animantium, decoctum rasuræ C. C. Eboris, pedum vervecinorum, & vitulinorum, decocta avenacea, hordeacea, iuscula carniū pingua, pinguedines animantium, butyrum insulsum, cuius modi decocto aliquid massæ pilularum Becheri correctum aut nitri adiici potest. Hæc sunt quæ primæ indicationi satisfacere solent.

## §. IV.

Non ergo indigemus emeticis; hæc enim si drastica sint, maiora producunt tormina, & sic maiorem ad intestina affluxum invitant. Mitiora, ut radix illa Americana *Ipecacuanha* tum quidem in usum vocari possent, si fructuum horæorum notabilis præcesserit ingurgitatio; verum cum homines prius Dysenteriam non suspicentur, donec torminosas quasdam passi fuerint deiectiones, & præterea hic morbus ut plurimum miasma suum contagiosum, vel per os, vel per poros corporis, vel per infestationes in loca infecta, aut per alios physicos contactus, suam trahat originem, ideoque vel altius in massa humorum resideat, vel iam universum intestinorum tractum labe sua conspurcarit: tum non video, quid auxilii huic adfectui ferant emetica, quæ tam late vires suas minime extendere valent. Excludenda etiam putamus omnia  
ea

ea lenientia, quæ aliquam movere possunt fermentationem, ut Decoctum prunorum radices liquiritiæ, Passulæ maiores & minores aliique fructus dulces & ex his præparati syripi. Multo minus conveniunt laxantia fermentescibilia, ut Cassiæ fistularis decoctum, pulpa tamarindorum & serum lactis tamarindinatum. Minime omnium conducunt acriora resinosa, ut radix Jalappæ, Aloë in substantia, Scammoneum, Colocynthis, G. Guttæ, Pil. Francofurtenses, Angelicæ, pestilenciales Ruffi, Glassianæ, Species hieræ picæ, Elixir proprietatis Paracelsi. Hæc enim omnia ita sunt comparata, ut resinosa sua substantia altius intestinis se insinuant, unde ignem igni addendo magnum excitant incendium. Neque salinis locum hic assignamus, qualia sunt Cremor tartari, Sal Anglicanum, Sal Egranum, Salia media, Tartarus Vitriolat. Arcanum duplic. Nitr. Antimoniatum, ob stimulum, quo intestina, iam tum in hoc morbo maxime sensibilia, adficiunt. Exulent Mercurialia ut Mercur. dulcis, æthiops mineralis, ob gravitatem, qua se in intestina lesa & excoiata iusto altius insinuant, eas vellunt, & sic magnos dolores producant.

## §. V.

Alteri indicationi ut satis faciamus, ante omnia legitimus febris decursus respiciendus est. Alvi enim fluxus cum reliquis symptomatibus facile cessat. Sufficit contagii acrimoniam fermentescentem, & in primis viis & in sanguinea massa præsentem, corrigere, obtundere, involvere, & leniter abstergere, positivam vero excretionem magis ad corporis superficiem dirigere, quo seri acrioris ad intestina affluxus ab iisdem avocetur, & ad halituosam superficiem corporis excretionem invitetur. Hinc lenissimis suppeditatis laxantibus, coniungi debent, absorbentia teneriora v. g. Mater. perl. ppt. Conch. ppt. Ocul. cancr. Cryst. Mont. C. C. Philosoph. ppt. cum Antimonio fixo & pauxillo Nitr. cum cortice Casc. ppt. Nitrum enim vi sua spasmos intestinorum relaxante, acrimoniam infringente, motus febriles temperante & ardorem refrigerante, ad pauca grana exhibitum, incomparabilem adfert opem, cortex autem Cascarillæ leni suavi discuti-

E

ente

ente ac sedante, spasmodicam intestinorum contractionem demulcet, nimium adfluxum serosorum humorum ab intestinis avertit, factamque inflammationem discutit. His Pulveribus Aquæ diapnoicæ summo cum fructu subiunguntur, ut Aquæ Scorzon. Scordii, Scabiosæ, Cichor. flor. Galeg. it. Essent. Alexipharmacæ temperatæ Vincetoxici, Pimpin. alb. Scordii. Loco potus consueti Decoctum ex Hordeo & Avena excorticatis, C C. raspat. Rad. Scorzon. Chinæ, Sassaapar. Cich. præparetur, quod non solum diluendo, lubricando, involvendo conducit, sed etiam calide sumtum exoptatam promoveret diapnoen; hæc si debite propinata fuerint, opiatorum aut adstringentium usum evitare possumus. Ut plurimum enim morbi vis iisdem cedit, si ab ipso morbi exordio Medicum adhibuerit ægrotus rationalem: sin vero absorbentia, demulcentia, abstergentia, lenia evacuantia haud suffecerint, tum quidem in leniori morbo, quo febris non adeo notabilis est, lenioribus sedantibus, ut gr. I. MP. de Cynogloss. Liq. Anod. Mineral. *Illustr. Hoffmann.* & subadstringentibus, ut speciebus de Hyacinth. corall. ppt. cort. Casc. ppt. maiori in dosi, coniunctis tamen semper enarratis abstergentibus, Diapnoicis & evacuantibus res erit perficienda; in febris autem malignæ complicatione silentia & anodyna minime tuta sunt. Qua de causa in his circumstantiis febrem magis quam fluxum cruentum respicere convenit.

## §. VI.

Hæc pro methodo generali sufficere possunt, nunc specialem illius applicationem suppeditamus. Miles igitur hoc morbo correptus, si notabiles nondum sentiat febriles motus, quavis nocte gr. XV. Pil. Becheri balsamicarum adsumat, diurno autem tempore, Pulv. Cascar. ppt. ad gr. X. vel XV. ter vel quater adhibeatur. Hæc methodus, si coniunctis diæteticiis superius traditis, ad aliquot dies continuata fuerit, malum plerumque evanescit. Si autem cum acuta & maligniore febre colluctandum sit, tum Pulveres ex Antim. diaphor. gr. VIII. Ocul. cancr. ppt. Cort. Casc. ana gr. V. & Nitr. depur. gr. II. sæpius exhibeantur; præmissa tamen & sæpius interposita dosi pil. Becheri balsamica-  
rum,

rum, aut si hæc defuerint, laxante Rhabarbarino. Cum hisce pulveribus Ess. Alexipharmaca temperata ex Ess. Scordii, Pimp. alb. Cascar. anaticis partibus confecta potest coniungi & ad 25. 30. gtt. de die aliquoties exhiberi; imprimis udore corporis iam tum adparente. Lenissima ac placida hæc methodus, quantum valeat, is demum observabit, qui eiusmodi morbis auxilio suo interesse cogetur. Unde cum methodus nostra egregium sit in Dysenteria tam castrensi quam rurali specificum, aliis non inhiabimus, ut plurimum enim corvos deludunt hiantes. Quidquid autem in hoc morbo usui esse debet, id quantocyus expediendum est, Omnis enim mora hic periculum anget, multa autem probare fidem lædit & conscientiam.

## §. VII.

Nunc restat ut de *præservatione*, & de optimo servandi ordine in castris pauca dicamus. Ante omnia si vel minima huius mali suspicio adsit, Medicus præfecto militari supremo suam hæc de morbo mentem aperiat, simulque postulet, ut quam primum quis deiectionibus torminosis impetatur, ex tempore nomen eius sibi deferatur, ut prima statim in herba hic morbus suffocari queat. Si tamen, his non obstantibus præcautionibus, malum de die in dies maiora sumat incrementa, tum castra esse tollenda suadeat. Fuga enim quam optime præservat a contagio. Medicus tempestatum notet vicissitudines & cum superioribus ea communicet, ut hæc strages per rectum rerum naturalium usum averti queat. Sufficiant hæc, & benedicente Numine valeant in plurimorum salutem!



NOBI-

NOBILISSIMO  
CANDIDATO  
MULTAM PRECATVR FELICITATEM  
PRÆSES.

**Q**uam elaboratam mihi tradidisti dissertationem: eam hic paucis correctam, illic passim transformatam iam Tibi reddo. Cur vero pro themate inaugurali talem morbum explicandum elegeris, de quo tam multa ubique scripta sunt, ut in illo exponendo nonnulli iliade longiores fuerint: de hac re coram Tuas adduxisti rationes. Et sane, si dicendum, quod res est, satius & ad finem medicum utilius agitur, quando operam nostram in illis adfectibus ponimus, qui genus humanum frequentius infestant, quam si choream sancti Viti rariorem accuratissima saltatione imitemur. Ceterum uti electio in his casibus libera conceditur: sic unicuique, quod suum est, facile debetur. Nil restat, quam ut Tibi, honoratissime CANDIDATE, animo defecato gratuler & futura Tua divina directioni commendem. Dabam e museo prid. non. Jun.

M DCC XXXII.

**A**scendis tandem Cathedram, Doctissime SEYFFERT!  
Qua Tibi ad eximium janua aperta datur  
Culmen honoris, quod dudum paravit Apollo  
Illis, qui studiis nomina clara petunt.  
Insigni cura coluisti Pæoniam artem:  
Nunc dare scis docta pocula mixta manu.  
In studiis fervoris & æstus incitamenta  
Ac calcar Virtus, Gloria semper erant:  
Nunc etiam studio peracto, Gloria, Virtus  
Ex meritis merito Te decorare volunt.  
Hinc etiam non possum non applaudere, SEYFFERT!  
Docte! Tibi. Cedant omnia perpetuo  
Ex votoque Tibi, & Tua Numen vota secundet!  
Sic ægris redeat, Te redeunte Salus.

JOH. CHRIST. EHRLICH,  
Med. Doctor legens & Practicus in alma Fridericiana.

✠✠✠ ) o ( ✠✠✠

131. B. 12

W 18

